



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

20. An Religiosus, si ex consuetudine non recitat Horas Canonicas in Choro, peccet mortaliter? Et an obligatio canendi in Choro per se, & directè sigillatim singulas personas afficiat? Ex part. 3. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76359)

Religionibus imponat: nam in prædicta Clementina, potius supponitur aliunde obligatio, & ideo solum præcipitur, vt debito modo psallatur; quare obligatio supponenda est ex peculiari instituto, regula, aut consuetudine. Hæc est communis sententia quam docet Dicitur Antoninus 2. part. tit. 9. c. 12. §. 3. *verf. Quinta negligentia*, Angelus, *verb. Hora*, num. 25. Tabiena, *ibi*, q. 28. n. 29. dicto 11. Syluester, *quest. 10*. Armilla num. 21. Sotus lib. 10. de *Iust. quest. 3. art. 3. circa finem*, Aragonius 2. 2. *quest. 83. art. 12. dub. 4. not. 2. & concl. 1.* Suarius, tom. 2. de *Relig. lib. 4. de horis*, cap. 10. num. 7. Filliucius, tom. 2. tract. 23. cap. 4. *quest. 7. num. 133.* Bonacina, tom. 1. de *Officio*, disp. 2. *quest. 1. punct. 1. num. 9.*

5. Quæres an prædicta obligatio sit sub culpa mortali, an tantum ex regula, ita vt non excedat communem obligationem regulæ. Respondeo, & dico primo: si loquamur de toto Conuentu, seu Ecclesia regulari, in qua est consuetudo regulariter dicendi diuinum Officium publicè in Choro, etiam si id nulla regula explicauerit, nec vllum votum de hoc directè fiat, esse obligationem grauem sub peccato mortali, quia saltem per consuetudinem videtur illud onus ita receptum, & acceptum; & magnum esset scâdulum si omitteretur, quamuis interdum ex iusta causa possit in hoc dispensari. Ita docet Armilla, *verb. Hora*, n. 21. Sotus, lib. 10. de *Iust. quest. 5. art. 3. prope finem*. Suarius tom. 2. de *Relig. lib. 4. de Horis Canonicis*, cap. 10. n. 7. *fin.* Filliucius, tom. 2. tract. 23. c. 4. *quest. 7. num. 134.* Layman, tom. 2. lib. 4. tract. 1. cap. 4. num. 1. Dico secundo, hanc obligationem principaliter cadere in Prælatos Religionis, & Monasterij, scilicet Abbatem, Priorem, Guardianum, Abbatissam, Priorissâ, & quemcumque alium. Ratio est, quia quoties obligatio cadit in aliquod mysticum corpus alicuius Cõmunitatis, caput talis corporis, ratione sui maxime tenetur curare, vt obligatio illa impleatur, quia ad superiorem pertinet mouere inferiores ad operandû; alias non posset tale corpus moraliter tali obligationi satisfacere. Hæc autem Prælatorum obligatio specialiter explicata, & aucta est in prædicta Clementina 1. de *celebratione Missarum*, vbi ordinariis Rectoribus, & superioribus præcipitur, vt sollicitam adhibeant diligentiam, vt debitis horis conuenienter hoc Officium psallatur, vel celebretur, si Dei, & Apostolicæ Sedis indignationem euitare voluerint; quæ verba manifestè indicant præceptum obligans ad mortale. Ita Tabiena, *verb. Hora*, *quest. 23. n. 29.* Armilla, num. 21. Sotus, lib. 19. de *Iustit. quest. 5. art. 3. prope finem*, vbi ait: si vbi fieri potest, Præfecti negligentia tale Officium in communi non fieret, citra dubium mortale illi esset crimen. Nauarrus, cap. 3. de *Oratione*, num. 61. Petrus de Aragonia 2. 2. *quest. 83. art. 12. dub. 4. concl. 1.* Suarius, tom. 2. de *Relig. lib. 5. de Horis*, cap. 10. num. 8. Layman tom. 2. lib. 4. tract. 1. cap. 4. num. 1. Filliucius tom. 2. tract. 23. cap. 4. *quest. 7. dicto 3. n. 135.* Bonacina, tom. 1. tract. de *Officio*, disp. 2. *quest. 1. punct. 1. num. 9.*

5. Quæres, an obligatio communis obliget singulos, quando non solum subditi, sed etiam ipse Prælati esset adeo negligens vt omitteretur publica diuini officij recitatio in Choro ex defectu ministrorum. Respondeo affirmatiuè; tunc enim præceptum commune singulos obligaret, quia iam esset publica necessitas, in qua obligantur. Huius sententiæ fauente Doctores, qui dicunt non excusari à peccato mortali illos Religiosos, ex quorum absentia in Choro Ecclesiasticum Officium notabile damnum, seu magnam iacturam pateretur. Ita expressè docent Angelus *verb. Hora*, num. 26. Tabiena *ibi*, *quest. 28. num. 29.* Syluester *questione 10. numer. 11.* Armilla num. 21. Caietanus *ibi*, §. *Quo ad quintum*. Graffius part. 1. dec. lib. 2.

Sup. hoc in
fra in Ref.
56. §. Obligari.

cap. 3. num. 13. Suarius tom. 2. de *Relig. lib. 4. de Horis*, cap. 10. n. 15. *fin.* Filliucius tom. 2. tract. 23. cap. 4. *quest. 7. dicto 1. num. 131.* Bonacina tom. 1. tract. de *Officio*, *disputatione 1. questione 2. puncto 2. r. 2. num. 5. Dixi regulariter*, & *disputatione 291. puncto 1. num. 9. fin.* Et hæc est doctrina communis inter Thologos circa obligationem recitandi Horas Canonicas in Choro, quam habent Religiosi: vnde caueant ipsi opinionem contrariam in praxim deducere

RESOL. XX.

An Religiosus, si ex consuetudine non recitet Horas Canonicas in Choro, peccet mortaliter?
Et an obligatio canendi in Choro per se, & directè sigillarim singulas personas afficiat? Ex part. 3. tit. 2. Ref. 18.

§. 1. Affirmatiuè respondet Peregrinus in *comment. ad nostras const. p. 1. lit. B. §. 3.* vbi sic ait: Religiosus, qui sine iusta causa omittit recitare Horas Canonicas in Choro, quamuis priuatim illas recitet, mortaliter peccat, si habet consuetudinem non recitandi.

2. Sed hæc opinio mihi non placet, quia obligatio canendi in choro per se, & directè non afficit sigillatim singulas personas, sed totam communitatem. Vnde Suarez de *Relig. tom. 2. lib. 4. cap. 10. n. 15.* sic ait: De Religiosis, qui chorum profitentur, existimo non teneri ex vi generalis legis, seu præcepti obligantis sub culpa mortali ad canendum in choro, nisi vbi fuerit speciali consuetudine hoc præceptum, ita expressè declaratum; & impositum est, vel si alicubi proprium votum de hoc fieret, quod in nulla Religione credo fieri, neque etiam scio in aliqua esse consuetudinem, illo modo obligantem. Nec enim consuetudo Chori est in hoc sensu in Religiosis introducenda, sed solum, vt horæ in choro omnino dicendæ sint; & omnes adesse debeant iuxta regulam, & quod in hoc deficientes penæ subiacent, non verò quod in hoc grauius peccent, dummodo alias horæ recitent. Ita ille & post illum Raphaël de la Torre in 2. 2. *D. Thom. 1. contr. 10. de Relig. canon. disp. 1. n. 6.* libi sic ait: De Religiosis, qui ex vi suorum statutorum profitentur Chorum, maior ratio dubitandi est, an peccent, & existimo non teneri ex lege, aut præcepto generali, aut aliquo iure; quod certè ad Religiosos non dirigitur, tenebuntur autem ex vi præcepti, si quod reperitur in aliqua Religione, quod credo in nulla esse. Superest ergo, vt si aliqua obligatio sit, ea ortum habeat ex obligatione seruandi suas constitutiones, sed credo iam omnes, aut ferè omnes Religiones, se ab hoc vinculo liberasse. Et in Ordine Prædicatorum in Prologo dicitur: Volumus vt nostræ constitutiones non obligent nos ad culpam, sed ad penam: Et consuetudo, & iussio Chori in Religione hac, & vt existimo etiam in aliis, in hoc sensu introducta est, vt omnes horæ in Choro canantur, non verò quod grauius peccent, imò neque leuiter in Ordine præfato Prædicatorum, secluso contemptu & præcepto. Ita ille. Et hanc sententiam docent etiam Filliucius tom. 2. tract. 23. cap. 4. num. 139. & Bonacina de *horis canon. disp. 1. q. 1. punct. 1. n. 9.* cum Fausto de *horis canon. lib. 2. quest. 186.*

3. Ex his omnibus apparet Religiosos particulares non esse astrictos recitare Horas Canonicas in Choro. Vnde nescio quâ ratione Peregrinus dixit illos peccare, si hoc frequenter facerent; nam ex aliqua lege, vel consuetudine ad id non tenentur, vt satis probatum est; quod verò id frequenter faciunt, non potest

potest esse peccatum mortale, quia ex consuetudine frangere aliquam regulam, non obligantem ad culpam seculis contemptu, non esse peccatum lethale docet ipsemet Peteg. in proemio consil. lit. B, fol. 29. & alij communiter; ergo, &c. Vide etiam Bartholomzum à sancto Fausto in speculo Religioforum lib. 6. quæst. 152. Sanchez in summ. tom. 2. lib. 6. cap. 4. num. 17. & 18. Ledesnam in addit. ad summ. cap. 4. canel. 12. dub. 1. fol. mibi 157.

RESOL. XXI.

An sibi Nouitij possint satisfacere precepto soluendi Horarum Canonicarum in Choro, quod est querere, an sibi Nouitij faciant corpus communitatis? Et p. 7. tit. 1. & Misc. 2. Ref. 5.

§. 1. Vyppono ad satisfaciendum Choro non sufficere duos, sed saltem tres requiri, quæro an illi possint esse Nouitij; ad hoc dubium acutissimus Caramuel in Regulam D. Benedicti, disput. 101. lib. 6. sic respondet. Queris an Nouitij faciant Corpus Communitatis, nempe an Tres, vel plures Nouitij non clausæ, sed publicæ signo regulari conuocati possint in Choro communi Diuino officio satisfacere. Respondent nonnulli affirmatiuè, eo quod in fauorabilibus semper Nouitij censentur Religiosi; negatiuè alij, eo quod nondum incorporati sunt, sed de hoc videntur alio loco. Ita ille. Et vt vtrum fateatur, adsumt pro vtraque parte probabiles rationes. Pro negatiua, quia obligatio persoluendi Horas Canonicas in Choro est imposta Communitati Professorum, vt patet, sed Nouitij non sunt Professores, nec pars Communitatis, quoad hoc dici possunt, cum non sint Monasterio & Religioni incorporati. Ergo. Pro parte affirmatiua facit, quod sicut Nouitij possunt, & de facto gaudent Priuilegijs Professorum, ita dicendum est posse soluere onera ad quæ professi tenentur: nec vult dicere quod Nouitij in odiosis non dicuntur Professores, nam respondeo, certum esse Nouitios non teneri persolvere hoc onus, sed posse illud persolvere loco Professorum dicendum est, nam licet non sint adhuc incorporati Religioni, sunt aliquo modo pars illius Communitatis, & omnibus gratis & Priuilegijs Communitatis gaudent; & in fauorabilibus dicuntur Religiosi. Ergo, &c.

RESOL. XXII.

An Regulares, vel Canonici seculares satisfaciunt obligationem psallendi in choro, si canant in Sacristia ex aliqua iusta causa? Et difficultas est, si hoc licitum sit, quando Sacristia non est iuncta cum Ecclesia, vel non habet fenestram versus altare maius? Ex part. 6. tract. 8. & Misc. 3. Ref. 13.

§. 1. Casus est practicabilis, v. g. propter aspectum brumalem, vel si in Ecclesia famulatio, vt propter hebdomadam Sanctam, vel necessitatem, & similia. Et respondeo affirmatiuè: sed difficultas est, si hoc licitum sit fieri quando Sacristia non est coniuncta cum Ecclesia; & negatiuè respondet Bordonus in Consilijs Regularium, & resolut. num. 17. num. 21. vbi sic ait. Dixi, si solum communi muro Sacristia diuidatur ab Ecclesia, quia si maior est difficultas & puto non satisfacere, quia Choro non interuenit materialiter, neque moraliter.

vnde Prælati non videtur excusari permittendo recitari horas Canonicas in loco distante ab Ecclesia per plures muros intermedios, immò & per vicum, si non adest fenestra in eo communi muro, seu porta ad Ecclesiam; vnde audio decisum fuisse Romæ quosdam Canonicos non potuisse satisfacere suæ obligationi in Sacristia, quæ non habebat fenestram versus Altare maius, quod ego intelligo, quando ibi officium sine legitima causa, nam cum legitima causa censetur sufficere fenestram, vel portam Sacristiæ intra ambitum Ecclesiæ, maxime apud Regulares, qui non ita stricte obligantur ad Chorum formalem. Ita Bordonus. Vnde si vera esset hæc opinio Patres nostri Romæ degentes in domo S. Andreæ non satisfacerent præcepto soluendi Horas, si illas canerent in Sacristia, quia est penitus diiuncta ab Ecclesia, satisfacerent verò in Sacristia S. Synæstri.

2. Sed ex Bonacina, Castrus Palæus tom. 2. tr. 7. disp. 3. punct. 4. n. 2. & alij, licet asserant certum esse ex c. fin. dist. 62. & cap. 1. de celebr. Miss. Horas Canonicas persoluedas esse in Ecclesia, admittunt tamen ex necessitate posse in alio loco persolui, & se non restringunt in Sacristia distante ab Ecclesia per plures muros, vel in alio Oratorio; quia officium in dictis locis recitando dirigitur ad Ecclesiam, & moraliter dicuntur canendo in dictis locis Religiosi, in Ecclesia canere, saluo tamen meliori iudicio.

RESOL. XXIII.

An qui subdiaconum suscipit, teneatur in Ordinationis die Officium totum recitare?

Idem est dicendum de illo, qui emisit professionem hora vndecima ante meridiem.

Et quid est dicendum, si antequam quis Subdiaconatum acceperit, vel professionem emisit, omnes Horas illius diei recitauit, an satisfaciatur obligationi superuenienti?

Et an sit probabile, cum Episcopus Ordinandis iniungit aliquos Psalmos, & Litanias recitantes nolle sub graui culpa obligare, sed ex quadam honestate, & decentia tantum? Ex p. 4. tract. 4. & Misc. Refol. 118.

§. 1. Respondet negatiuè, sed solum ab illa parte, à qua obligatio incepta, v. g. si quis accepit Subdiaconatum, vel emisit professionem hora vndecima ante meridiem, non tenetur recitare matutinum illius diei, neque primam, neque tertiam sed ad summum sextam, & reliquas Horas, quia ab illa hora vndecima incipit obligatio. Ita Castrus Palæus tom. 2. disp. 2. punct. 4. n. 3. qui citat Suarez, & Bonaciam; quibus adde Homobonum in consulti. cas. conficiet. vol. 2. part. 5. respon. 240.

2. Non desinam tamen hic adnotare, Oliuerium Bonarium de Horis Canonicis lib. 2. c. 32. n. 11. docere, in tali casu Subdiaconum, v. g. satisfacere, si non dicat sextam, & nonam, sed incipiat à Vesperis illius diei; nam Ecclesiæ mens non censetur velle tionem ad paruas aliquas Horas diei currentis astringere.

3. Sed stando in prima opinione queritur, quid dicendum, si antequam quis Subdiaconatum accepit, vel professionem emisit, omnes Horas illius diei recitauit? Respondet Castrus Palæus loco citato non satisfacere obligationi superuenienti; quia non potest esse satisfactio obligationis, vbi nulla est obligatio: tenetur igitur iterum recitare modo, quo supra dictum est.

4. Nota tamen secundum Castrum Palæum, affirmatiuam sententiam esse probabilem; nam

Sup. hoc infra lege doctrinam §. 1. Ref. 66.

Sup. hoc infra lege doctrinam §. nota præterita.

ANNAE
MIA
III. IV. V
E III